



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 9. Amißionem magnarum opum magno animo ferre, qui opes ipsas
magni non faciunt: exemplo Ioannis Eleemosynarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

§. IX.

*Amiſſionem magnarum opum magno animo
ferre, qui opes ipſas magni non faciunt:
exemplo Ioannis Eleemoſynarij.*

Hebr. 10.
34.

Surius 23.
Ianuar.

Verùm illi quoq; facilè iacturam bono-
rum fuorum paſſi ſunt, qui ſe *Fortuna* bonis
ipſius *Fortuna* inconstantia, immo Numi-
nis prouidentia aut voluntate, priuatos in-
tellexerunt. Tales fuère, ad quos Apoſto-
lus ſcribit: *Rapinam bonorum veſtrorum, cum
gaudio ſuſcepisti, cognoſcentes vos habere me-
liorem & manentem ſubſtantiam.* Talis fuit
S. Ioannes eleemoſynarius Alexandriae E-
piſcopus. Tredecim Eccleſiæ Alexandrinae
naues oneratae, in Adriatico mari, magno
naufragio, omne onus, quod erat ter mil-
le & trecentarum librarum auri, prodege-
rant: ipſae inanes in Alexandriae portum re-
dierunt. Illi igitur, quibus nauium cura
concredita fuerat, è portu, ad templum
confugerunt, tanquam ad ſecuritatis aſy-
lum. Quod cum Patriarchae relatum fuiſſet,
illico Numini, propter hoc quoque, grati-
as egit; deinde ad nautas & naucleros miſit
*litteras remiſſionis, ea ſola, quae Iob dixit, di-
cens: Dominus dedit, fratres, Dominus abſtu-
lit. Egredimini ergo, pro hoc nullum timentes
peri-*

periculum. Dominus enim erit sollicitus de crastino. Cum autem multi ex ciuibus venirent ad eum consolandum, prior ipse eis dixit: Non oportet vos, o fratres, tristitia affici propter periculum nauium, cuius ipse solus sum causa. Nisi enim magnos & elatos sumissem spiritus, propter alienorum largitionem, immo verò Dei ipsius, hoc nequaquam accidisset. Volens itaq; Deus meum tumorem comprimere, permittit hanc mihi accidere calamitatem. Est enim eleemosyna saepe causa superbiae ei, qui non aduertit. Paupertas autem, sicut scriptum est, virum reddit humilem. Ego sum igitur causa duorum malorum: vnius quidem, quòd mercede eleemosynae priuatus sum, propter vanam gloriam: alterius verò, quòd propter eam procuravi amissionem tantarum pecuniarum: & nunc ad me attraho vniuersum iudicium animarum, quae rediguntur ad angustias. Sed Deus, etiamsi non propter me, sed propter curam, quam gerit eorum, qui indigent, suppeditabit ea, quae sunt ad usum necessaria. Illud enim: Non te dimittam, neq; te relinquam, ab eo dictum est. Fidelis autem est, qui promisit. Sic ij, qui venerant, ad sanctum consolandum, ipsi sunt potiùs ab illo dimissi, accepta consolatione.